

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Historiae ecclesiasticae saeculi ... XVI supplementum

Fecht, Johann

Francofurti et Spirae, 1684

VD17 VD17 3:315948Z

I.

[urn:nbn:de:bsz:31-122751](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-122751)



I.

salutem in Christo.

Quas tu literas 14. Calend. Februarii ad me dedisti, Reverende & Clarissime Domine Doctor, frater conjunctissime, eas ego ipsis ejusdem mensis Calendis sub noctem accepi. Juvenis enim Studiosus, qui reddidit, narrabat se annum passim exundantium eluvionibus impeditum ac retardatum, reddere citius non potuisse, cum multis in locis non tam peditare quam natare coactus fuerit. Sed sat cito, ajunt, si sat bene. Tuæ autem literæ non modò sat bonæ, verum etiam optimæ, quia benevolentissimæ. Ex his enim intellexi, tuum in me amorem, ac studium juvandi ecclesiam vestram afflictam, quam juvari & sublevari à me aliqua ex parte posse speras, sic Indies augeri & crescere, ut cum omni officio ac potius pietate cæteris satisfacias omnibus, tibi ipse nunquam satisfacias. Cum ergo videam, te, nisi negotium semel ^{aut} ^{est} ^{cep} ^{tum} feliciter perficias, non conquieturum, vitam mihi ego acerbam putabo, nisi eodem in negotio paria fecero. Quanquam nescio sanè, quomodo humanitati, benevolentia, amoris tuo paria facere possim, etiamsi omnibus officiis tecum certavero. Sed ut in cursu, sic in reddenda etiam gratia, ipsa solet laudari virium animique contentio, etiamsi facultas ipsa non ex æquo respondeat voluntati. Quid enim tibi, optime doctissimeque mi Marbachi, pro tua illa in me ad Dominos Scholarchas commendando sedulitate, retribuere aut remunerare possum? DEUS te Opt. Max. pro illo officio amet, & ut fructum commendationis hujus percipere aliquando possit ecclesia & schola vestra, clementer faciat. Quis autem sum ego, aut quæ ulla dignitas meritum ve meum? ut Amplissimæ Reip. vestræ Legati gravissimi, itinere longo & difficili, sumptu non modico Studgardiam pro me impetrando proficiantur? Sed agnosco hinc rursus summum tuum in me ornando provehendoque studium, qui meam ad vos vocationem non amoris tantummodo, sed etiam honoris plenam esse cupias. Quem tamen ego honorem deprecarer, nisi eum Illustrissimi Principis nostri authoritati existimationique dari & deferri intelligerem. Itaque quia sic à magnis Civitatibus ad magnos Principes fieri solenne est, idemq; ab Haganonensibus vicinis vestris, aliisque multis factum est, equidem non repugnabo, sed vestræ prudentiæ permittam, ut à vobis id omne fiat, quod ad conficiendum negotium aliquid momenti offerre posse judicabitur. In me verò nihil desiderari patiar,

Q. 3

G. H. B.

cum animus meus erga vos is sit, & mansurus semper, qui fuit hactenus. Nam quod mones, ne fufurationibus aut calumniis me à vobis abduci, aut de mea voluntate aliquid immutari patiar, illud mihi credas velim, me & natura instituroque meo animum ab omnibus fufurionibus & calumniatoribus alienissimum gerere, & contra omnes rumusculos, suspiciones, obtreccationes, delationes, quæ impedire pios vestros conatus possent, ita me & mentem obfirmasse, & obturasse aures, nihil ut sit, quod *è meo* nostram turbare queat. Plura jam non scribam. Cætera enim quæ scribenda superessent, petere te volo ex superioribus proximis literis,isque binis, quarum alteras die 3. Januarii, alteras 17. ad te dedi, & has quidem cum strenis. Existimo autem, te jamdudum accepisse. Tabellarius enim certus fuit à Curia nostra Richevillam missus, nec tamen adhuc, quod ego sciam, ad nos reversus. Et est honestus civis Studgardianus. Itaque redditas tibi esse non dubito, licet fortassis ad aquarum eluviones seriùs, quàm speraveram. Bene ac feliciter in DOMINO vale, cum uxore, liberis & universa familia. Studgardie, 2. Februarii, A. 70.

Tuus totus ex animo frater

Wilh. Bidembach, D.

Philippo tuo, doctissimo juveni, meis verbis dicito: *πάρις κτωρ.* de cujus Disputatione scribam ad te sententiam meam, cum perlegero. Hodie enim apud nos dies festus est, & ego ad concionem propero.



II.

S Cum pastor meus, Dominus Cancerinus, occupator esset, quam ut Domini parentis tui, Philippe ornatissime, literis posset respondere, mihi, ut id suo nomine facerem, injunxit. Quod igitur ad Hausmannum attinet, eum audivimus, & examinatum dignum reperimus, cui ministerium verbi in nostro oppido committeretur. Jussimus itaque eum, deportatis libris suis intra octiduum ad nos reverri, & officium, cui destinatus est, capessere. Cum autem non immerito de Reichenweilerana Ecclesia sollicitus sim, qualem sic post me habitura ministrum: reverenter, & Domini Cancerini nomine, Reverendum virum, Dominum patrem tuum oro, ut gravissimis verbis, pro ea, qua pollet, autoritate, Hausmannum officii admoneat, non in commisso tantum ministerii partibus, sed etiam in privata vita, & iis, quæ erga proximum sunt, actionibus. Peculiare Bavarorum vitium est, ut aliorum beneficiis sublevati se efferant, & non optimam gratiam referant. Et fuit multis Ecclesiis